

DE
PLUTARCHI
CHÆRONEI,
PHILOSOPHI GRAVISSIMI,
VITA,

*Libellus à DECIO CELERIO Medico
Luarense olim collectus ,*

Nunc autem opera , & diligentia Raphaelis
Montorfani in desideratam lucem
emissus ,

Vt omnes periucundè eius lectione frui possint .



MEDIOLANI,
Apud Impressores Archiepiscopales. 1611.
De consensu Superiorum.

AL SIGNOR DECIO
Celere

Per la vita di Plutarcho da lui descritta.

SONETTO
Del Signor Antonio Biaguazzzone.

DA la tua penna d'or la vita prende
DECIO chi vita à mille heroi già diede
Qnd'ei, che à noua luce vscir si vede,
Di dar luce a' tuoi pregi anco s'accende

Mà duro il fatto à quel desir contendé
Mentr'ei per te la penna oprar si crede,
Che forse là, doue immortal risiede,
Per gl'immortali Heroi l'inchiostro spende.

Mà non hai d'huopo de gl'inchiostri suoi
Che mentre in bei sudor dolce t'affanni,
Godì ancor tò quel, che pur doni à lui.

Questa è non arte, onde la morte inganni
Che fingendo dar vita al nome altrui
Impenni al tuo bel nome eterni vanni.

NOBILI,
 ET SVAVISSIMO
 Amico
D. RAPHAELI
 MONTORFANO.

DECIVS CELER. S.P.D.



VM pleraque alia (amabilissime Montorfane) in cōsuetudine nostra constet memorabilia, & grata euenisse; tūm illud certè iucundissimum, & effatu dignum apparet, quod cū in præpotentem istam Urbem venissem, ac meditationum mearum de affectibus animi volumen Illustriß. Cardinali FEDERICO BORROMAEIO detulisset eo cōsilio, vt in Ambrosiana Biblioteca honestum locum adeptum, postea tanti Viri beneficio, ac veluti obstetricatione excluderetur hoc est in lucem ederetur; statim placuit (credo non sine inspiratione diuina) religiosissimo Antistiti, nos in arctissimo necessitudinis vinculo copulare. Simul ac enim iste te mihi comitem, & sincerissimum socium designauit, mirum est, quomodo vterq; nostrum, velut dato de cœlis signo, in alterius amplexum properarit, atq; vt Pla

^{in Con-}
uiuio.

4

to fingit, unusquisque, instar dimidiū, alterū suum dimi-
diū nactus, cum alio mutua sē alacritate coniunxerit.
Hinc series officiorum ab eo die perennis orta est, atq;
non dissimilis vtrinq; in consulendo, & opitulando vo-
luntas. Verūm inter plurima, quæ à te maximi amo-
ris testimonia sunt profecta, nullū meo iudicio præstan-
tius, aut significantius adhuc extare videtur isto, quod
nuper sanè gratiōsē effudisti; cum meas obseruationes,
quas olim collectas de Plutarchi Chæronei vita, ad te
miseram, vt tua manu Illustriß. Cardinali traditæ, (si-
cūt ei pollicitus eram) locum pariter in ista celeberrī-
ma, vt sic dicam, Amalthea nanciscerentur: tibi adeò,
nonnullisq; alijs probis viris placuisse significas, vt li-
bellū omnino tibi cedi postules, atq;, vt pro tuo arbitrio
possis de ipso disponere singulari studio contendas. Hoc
enim apud me præsignis amoris argumentum est, qui fa-
cit, vt amici nugis haud secus, ac si quid amplum es-
sent delecteris. Quare honesto tuo desiderio, ac peti-
tioni nunc satisfacere volens, primum dico, mihi, cum
hoc laboris sumpsi, nequaquam venisse in mentem,
præsentem commentationem liberè in alienas manus
emittere, sed eò dūtaxat meas cogitationes, & curas di-
rectas fuisse, vt faciliorem quendam institutis, & scri-
ptis huius præclarissimi scriptoris aditum patefactū,
cuius merito deinde valerem ego, cùm ad interiorē ope-
rum illius perceptionem, tūm ad uberiorem quoq; noti-
tiam peruenire illius philosophandi rationis, quā quia
recta est, & exacta, Neoterici solent nuncupare regiā;
cuius Plutarchus in primis, deinde etiam Plotinus,
Porphyrīus, Iamblicus, Sirianus, Proculus, & pleriq;

veteres Philosophi studiosi, & sectatores fuisse videntur. Solet enim huiusmodi commemoratione morum, atq; gestorum Auctoris, si ritè adhibita sit, non mediocrem operibus eiusdem, vt nosti, claritatem afferre. Verum cùm nihil omnino sit, quod amor in te meus singularis, ac ingentia tua erga me beneficia obtinere non debeat, nūc fateor me commutasse consilium, ac deliberationē tibi penitus indulgendi cœpisse.

Quare habe quicquid est libelli,

Non arido tamen pumice expolitum:

vt ille de lepidissimo suo dicebat; sed quale tenuis mea ^{Catulus.} Musa concinnare potuit, nimirū philosophica, & nuda oratione contextum. Sicut enim binæ ab eruditis perhibentur esse viæ rectè in hoc mundo viuendi, altera contemplativa, altera actuosa: sic cum ratione consentit, binos item dari earum referendarum modos, qui eiusmodi redoleant discrimen, ac rebus enarrandis proportione respondeant. Vnde cùm vita contemplativa sit à popularibus abstracta fragoribus, vniq; speculationi rerū semper intenta; non iniuria hæc puram quandam, & sedatam dicendi formulam videtur exposcere, quò cōgruerter promatur in lucē. Actuosa verò per varios casus, & rerum discrimina pergens, (vt aliud agens diuinavit Poeta) iure, meritoq; diuersos etiam colores orationis desiderat, immò vt summo verborum apparatu absoluatur, innuere videtur. Quæ stili differentia, vel ipsiusmet Plutarchi iudicio confirmari potest, quando secundum priorem formulam vitas decē Oratorum Græcorum tradere dignoscitur; secundum verò posteriorē aliud præcipue volumen, in quo præcipuorum cùm Ra-

manorum, tūm Græcorum Virorum gesta accurato sermone prosequitur. Cūm hæc igitur ita se habeant, vedi ximus sciendum cōtinuò est, nos in præsenti elucubratiōne laborasse, huius grauiissimi Auctoris vitā potius secundum anteriorem, quam posteriorem rationem designare: Philosophus enim fuit Plutarchus, & quæcumque ipsius existat, omnia philosophica sunt, adeò ut non nisi philosophico sermone mereantur illustrari. Præclarè enim tūm demùm agi cum unaquaq; reducimus, si perinde atq; in natura consistit, ita subiicitur animis legentium, nec à sensibili eiusdem specie dissentit oratio. Hanc congruentiam Laertius item optimè noscens, obseruatur consimili stilo vitas priscorum philosophorum tradere litteris, sicut etiam Porphyrius animaduertit in vita Plotini. Habes igitur rationem operis, & propositi nostri: quam si, ut conati sumus, ad legitimū perduximus exitum, profectò haud pigebit ita subsēciuas interdum elusisse horas: sin minus, hoc saltem commendatione haud erit indignum quod primi illi Viro studue rimus persoluere gratias, qui tot splendidissimorum hominum vitas luculenta oratione celebravit; contendemusq; simul eiusdem opuscula, vitio temporum omnino disiecta, atq; confusa, in ordinem redigere, quo minori cum assiduo possent à studiosis percipi, & exactius mente complecti. Sed vtcunq; sit de laboribus nostris, illud certè nobis satis superq; esse debet, quod tibi uni, dulcissime MONTORFANE, cui ob eximiam in nos caritatem, & fidem omnia debemus, & cupimus, hoc modo nunc rogati satisfecerimus, & in amore, ut par est, fidissimè responderimus. Vale.

DE PLVTARCHI
CHÆRONEI,
PHILOSOPHI GRAVISSIMI,
VITA,

*Libellus, auctore DECIO CELERE
Luarenſi Medico &c.*



VM Plutarchus genitorem *Pater.*
suum non raro commendet ,
vt eruditum , & optimum ci-
uem , nec interim tamē eius
nomen adjicat , haud im-
merito quispiam posset in eā
venire opinionem , quod illi pariter fuerit
nomen Plutarchus. Neque enim id Auctoris
vitio factum arbitror , quasi rem vsquequaq;
piam fœda obruerit obliuione , cum Aui Lā-
priæ , & Nicarchi Proaui satis luculentam fe-
cerit mentionem , genitoris autem nomen
vbique celebrarit sub agnomine patris : sed
potius suspicandum , Plutarchum nostrum
eiusmodi compellatione alterum Plutarchū
agnoscere , qui fuerit ipsius genitor .

Huic coniecturæ accedit , quod Plutarchus
ipse , cuius vitam nunc exarare contēdimus ,
duorum , quos suscepit , liberorum alteri cō-
spicitur Plutarchi , alteri verò Autoboli im-

posuisse nomina; ut vero simile sit, illum imitatum patrem, voluisse hoc modo proprij nominis memoriam in filio, sicut pater in ipso, conseruare: Ut mittam, quod item filiolæ, quam defunctam deplorat, nomen uxoris suæ indiderit, & quod Græcorum mos eo tempore extiterit, filios paterno nomine appellare.

Ex quo succedit, tres in eadem familia fuisse Plutarchos, sibi per ordinem connexos,

quorum primus fuit Pater, ex Lampria natus; secundus iste, cuius historiam inquirimus; tertius autem iunior, de quo haud leuiter suscipitur intellexisse Eusebium, cum Plutarchum

*Lib. 6 bi-
sto. cap. 2.* Chæroneum memorat, Origenis discipulum, vna cum Heraclea fratre, sub Seuero martirij palmam fuisse consecutum. Neque enim id de nostro Plutarcho esse audiendum censeo, quippe qui sub Traiano iam grandæuus ab urbe secesserit, & Ammonium Alexandrinum, cuius & ipse Origines fuit auditor, preceptorum habuerit.

Familia. Porro sicut patris Plutarchi nomen apprimè tenebricosum appareat, ita non medio-criter ambigere fas est de appellatione eius familiæ; quoniam eam nullibi inuenimus expressè notatam. Opinor tamen illam dictam fuisse Lampriam, quia Plutarchus ipse non semel hoc cognomine interrogatus Amicis respondit in suis dialogis: nimirum veteri Græcorum consuetudini addictus, qui nomi-

nibus cùm proprijs, tūm familiarum, & casu
item adscitis promiscuè vtebantur. Neque
huic coniecturæ id obstat, quod diximus, Plu-
tarchi auum Lampriæ obtinuisse nomen, cum
nostris etiam temporibus vfitatum esse pro-
bemus, filios proprijs familiarum nominibus
quandoque insignire. Denotat autem vox
hæc (Lamprias) familiam sanè claram, &
nobilem, à Lampre voce Græca, quæ latinis
fulgidum, & splendidum importat: vt ex præ-
senti cognomine cuique sit promptum, gen-
tis etiam honestatem, & optimam conditio-
nem per etymologicā rationem confirmare.

Sed vtcunque sit de nomine patris, & co-
gnomento Plutarchi, certum illud sanè, & ex-
ploratum nobis penitus est, quòd Nicarchus,
proauus nostri Plutarchi, tempore belli ciui- *Proauus.*
lis inter Octauium Augustum, & Marcum
Antoniū ardescens obnixè laborarit: quòd-
que auus eiusdem Lamprias fuerit, vir in do- *Auus.*
mandis, & concinnè regendis equis appri-
mè peritus. Insuper duos ipse fratres sibi *Fratres.*
fuisse commemorat, scilicet Thimonem, seu
Theonem Philosophum, & Lampriam si-
militer eruditum, & vocalissimum homi-
nem: Sororemq[ue] insuper, ex Suida, quæ *Soror.*
mater deinde fuit Sexti medici, & philo-
sophi Sceptici, de quo Iulius Capitoli- *In vita*
nus refert, quod Marci Antonini Cæsaris *Antonini*
fuerit apprimè familiaris. Vxorem item du- *Vxor.*

xit ex præscripto Solonis, atque Lycurgi legum, eamque prudentem elegit, atque fœcundam: etiam si interdùm nos certiores faciat de controuersia quadam exorta in ipsius traductione cum agnatis, atque parentibus; cuius cauſſa deinde cū vxore testatur se cōcessisse Thespias, & Cupidini ibi sacrum apprime solemne persoluuisse. Amplius filios, & filias non paucas ex vxore suscepisse se prædicat, quia præter Autobolum, ac Plutarchum iuniorem, scribit Cratonem etiam Firmum, Patrocleam, & Alexionem generos sibi extitisse; nec non vxorem consolatur in obitu filiæ. Fuit autē Plutarchus natione Beothus, vt ipfemet de fe ipso non semel testatus est, gentem suam accusans stupiditatis, & voracitatis nota. Tametsi libro sexto Conuiualium scriptum quoque relinquat, se Aeolum esse, quæ regio Græca in mari Ionio sita iacet inter Hermum, & Chaicum flumina. Verum cōciliatur locus, quia Strabo auctor est, Aeolianam Beothorum potissimum extitisse coloniam. Patria verò fuit Chæroneus, quæ ciuitas ad radices Parnassi montis locata, vt idē est locupletissimus testis, vergit ad Zephirū, atque Soli vespertino incumbit: Cum tamen à Chærone ipsius conditore subijciat, olim fuisse ad orientem expositam. Vrbs citrā controuersiam modica, & tenuis fortunæ, ceu ipse significat in vita Demosthenis: cæterū duabus

Filiy.

Patria.

Lib. 9. &
13. Geograph.In Beo-
thic.

duabus cladibus insignis, ex Pausania, altera
 Græcorum à Philippo Macedone accepta,
 qua vniuersa ipsius libertas ppè fuit erepta:
 altera Archelao Mithridatis duci illata à L.
 Scylla, ope Homoloichi, & Anaxidami Chæ-
 ronensium ciuium, qui montem nonnullis co-
 pijs occuparunt, & Romauo Imperatori vi-
 etoriam longè faciliorem reddiderunt: Vndē
 Scilla bina item apud Chæronem fertur ere-
 xisse trophea cum hac inscriptione. M A R-
 T I, F O R T V N A E , V E N E R I . Quæ
 singula cum minimè dubia sint, haud tamen
 silentio prætereundum est, Plutarchum inter-
 dum de se ipso notare, quod ab Atheniensi-
 bus Ciuitate donatus, transferit in Leontidā
 tribum; honor qui tūm temporis consueue-
 rat solis primæ notæ Viris, benemeritisque
 conferri, quasi ob eminentiam virtutis in eo-
 rum assumerentur cœtum, qui per multa se-
 cula in hoc eximio sapientiæ theatro florue-
 runt.

Vixisse illum sub Domitian, Neruæ, & Tra *Seculum.*
 iani principatibus magis conspicuum est,
 quām prolixa oratione effici queat, cum ipse
 manifestissimè proferat, sub Domitiano Phi-
 losophiam Romæ se publicè exercuisse fre-
 quenti gymnasio; atque non semel ad Traia-
 num scribat, discipulum eum cōpellans, nec
 non politica eidem præcepta nuncupans in
 ipso Romanæ maestatis fastigio sedēti. Quo-

circa Plutarchum eisdem fermè temporibus
emicuisse credendum est, quibus & Fabius
Quintilianus, & Caius Plinius, alijq; Roma-
*Præcepto-*ni scriptores claruerunt. Præceptoribus il-
res. lum plurimis deditse operam in Grammati-
cīs, Rheticis, Poeticis, Mathematicis,
Dialecticis, & Philosophicis doctrinīs, om-
ninò credibile est; quia in his singulis arti-
bus mirum in modum eminet. Cæterū ipse

vnum Ammonium singulariter effert, virum
(vt aiunt) Alexandrinum, atque in Platonica
pariter, & Aristotelica philosophia præsignē,
teste Suida: Cuius audiendi desiderio nedū
Plutarchus, sed alij quoque plurimi ex Euro-
pa in Aegyptū conuolarunt, atque illius ope
in viros doctrina, & moribus illustres euase-
runt, quemadmodūm Franciscus Patritius

Discus pe- apertum studiosis omnibus fecit. Post redi-
ripat. tum autem suum in Græciam Plutarchus nō-

Publicè nullis in locis insimulat, se philosophiā, nec
philoso- non alias liberales disciplinas, publicè fuisse
phiā profi- professum, ac multos habuisse discipulos no-
tetur. biles, qualis fuit Maximus Orator, atq; Phi-
losophus, necnon Traianus, & alij, quorum
nomina percensere tædiosum, & inutile fo-
ret. Hinc, partim multi iugi eruditione, par-
tim innocuis moribus, & probitate vitæ, illu-
strissimum sibi nomen, & gloriam compara-
uit, adeò vt eius fama, nedum vniuersas Græ-
ciæ oras peragraret, sed quotquot Romano

subiacebant imperio prouincias cū admiratione repleret. Aliqui volunt Romanā Vrbē petiisse primū sub Domitiano: Ego solū philosophiam sub illius principatu publice edocuisse in eius monumētis inueni. Caussa accessus ad vrbem multiplex adducitur, nihilo minus ea cunctis efficacior, & grauior ab ipso recensetur, vt scilicet illustrium virorum *vitas* maiori cū accuratione, & diligentia conscribere posset. Desiderat enim *historia*, *Historia*. eodemmet auctore, cūm alia plurima, tūm nobilem vrbem, rerum honestarum studiosam, & hominum copia frequentem, vt & in omnis generis librorum vbertate versans scriptor, & ea quæ à scriptoribus omissa, memoriæ tamen beneficio hominum conseruata fidem merentur, percontando, audiendoque percipiens, ita suum opus cumulatius perficere valeat, vt ne multa, aut necessaria in eo desiderari possint. Cuius rei item gratia serò tandem, & prouecta ætate Romanas se attigisse litteras testatur, vt non tam ex rebus ipsis, & locis, & personis, sed ex vocabulis etiam, & appellationibus compararet vberiorem earum rerum notitiā, quæ ad exactum historiæ modum necessariæ sunt. Quid igitur mirum, si in hoc scribendi genere Plutarchus ita sublimis effertur, & ad apicē usque euadit, vt eius superandi spem cunctis, aſsequendi autem paucis omnino reliquerit?

*Accessus
ad urbē.*

Neque

Neque enim adhuc quempiam dígito com-
 monstrare licitum est , qui virorum illustrium
 vitas exarans , acutius mores animi , & varie-
 tates ingeniorum intimius obseruare noue-
 rit , aut obseruatas accuratius exprimere ,
 quique priscarum religionum, legum, rituum,
 magistratum, regiminum, appellationum
 differentias , origines , & rationes diligētius
 expiscarit , atque minutius in lucem excluse-
 rit . Quid quod rerum gestarum enarratio-
 nes grauiissimis adeò sententijs , tām cōtem-
 platiuis , quām moralibus passim exornat , vt
 quasi stellis aptè corruscantibus suorum scri-
 ptorum orbē collustrare decernatur ? Nimis
 moror : vnus Plutarchus in argutis paroemij s
 fine exemplo frequens , & eminens ; vnus in di-
 etis grauiissimorum auctorum percensemdis ,
 copiosus , & prudens ; vnus poeticorum flo-
 sculorum diligens collector , & interpres ; &
 vnus denique cōsuetudinum diuersarum na-
 tionum æquus animaduersor , & cēsor appa-
 ret . Transeo similitudinum , quas Græci pa-
 rabolas uocant , incredibilem ubertatem , &
 gratiam , nec non p̄æclarissimorū exemplo-
 rum filuam , & specimen , quoniam citrā cō-
 trouersiā omnes uni huic uiro palmā defe-
 rūt . Vni enim Plutarcho cōcessum à Deo oēs
 dicitant , ut crebris similitudinibus , & exem-
 plis admodum illustribus , nedūm amplā re-
 bus fidem , sed eximiam quoque perspicuita-
 tem ,

tem, atque decorem conciliet. Quo factum
 est, ut omnes de vno hoc scriptore promul-
 gent, eius monumenta esse promptuarij in-
 star, & pœnu doctrinarum quarumcunque li-
 beralium. Siquidem hic propè solus nouit in
 explicatione cuiuscunque rei diuersas vocare
 disciplinas ad partes, atque, sine vlla nota pa-
 rergi, lectores per amena quæque documentorum
 genera deducendo, iucundè enutrire.
 Sed hæc propè extra chorū iactata quis haud
 immiteritò obijciet: Eò quia præsentis consilij
 esse nequaquam apparet, laudibüs efferre mo-
 numenta tanti Viri, quæ per se laudatissima Philoso-
 sunt; sed eiusdem gesta, & mores in deside- phia scrip-
 ratam lucem educere. Porrò sicut hunc Au- ta.
 storem testati sumus in historia solere philo-
 sophica concinnè admiscere præcepta, ita
 nunc præterire minimè licet, eundem in tra-
 ctibus philosophicis appositiè ex historicis,
 & poeticis scriptis crebria, & suauia testimo-
 nia afferre; nimirùm grauia ubique delecta-
 bilibus condiens, & delectabilia vicissim gra-
 uibus sententijs exornans, vt, citrà vllam sa-
 tiatem, & tedium, lectores semper erudiat
 atque studiosis quibusq; vberrimam supelle-
 tilem subijciat.

Sed, vt ad ipsius quoque mores, & indolem Suauitas
 deueniamus; hunc auctorem cum primis no morum.
 tamus, natura fuisse affabilem, atque suauē:
 partim quia in singulis eius scriptis talem se

præbet; partim insuper quia Græcis, & Romanis pariter carus in summorum Imperatorum gratiam, familiaritatemque peruenit, atque sineulla offensione (quæ litteris prodita sit) ad extremam senectutem usque permanxit. Amplius ipse met de se ipso quandoque protulit, quod ingenio fuerit admodum credulo, & ad alios amandos insigniter proximo, ita ut quibusque adeuntibus ampla præstiterit fidem; ac proinde non raro fuerit deceptus, & illusus ab eis, non absque iactura, & periculo graui. Ait item, se non mediocriter obseruasse nocturnas visiones, & somnia; quorum etiam gratia fatetur, se per longum temporis spatium abstinuisse ab ouis. Deos item Gentilium magna cum veneratione, & ferè ad superstitionem usque ipsum excoluisse notum est: quin & plurima de oraculis, sacrificijs, ritibus sacris, sacerdotibus, dæmonibus, & heroibus discepunt, & innuit eisdem se haud uulgarem adhibuisse fidem, scilicet & patria religione, & Orphicorum, Pythagoreorumq; institutis irretitus, quibus ab ineunte ætate fuerat imbutus. Constantia procul dubio istius Viri, & infractum animi robur in obitu filiolæ, magna est commendatione digna; quoniam in ipsa auditione duri sermonis rescripsit ad uxorem, consolans eam, & fidem insuper faciens, quod animus humanus, quo diutius in hoc moratur ergastulo,

Credulitas.

Somniorū obseruan- ter obseruasse nocturnas visiones, & somnia; quorum etiam gratia fatetur, se per longum temporis spatium abstinuisse ab ouis. Deos item Gentilium magna cum veneratione, & ferè ad superstitionem usque ipsum excoluisse notum est: quin & plurima de oraculis, sacrificijs, ritibus sacris, sacerdotibus, dæmonibus, & heroibus discepunt, & innuit eisdem se haud uulgarem adhibuisse fidem, scilicet & patria religione, & Orphicorum, Pythagoreorumq; institutis irretitus, quibus ab ineunte ætate fuerat imbutus. Constantia procul dubio istius Viri, & infractum animi robur in obitu filiolæ, magna est commendatione digna; quoniam in ipsa auditione duri sermonis rescripsit ad uxorem, consolans eam, & fidem insuper faciens, quod animus humanus, quo diutius in hoc moratur ergastulo,

Constan-

tia.

lo ; eò arctius terrenis affigitur illecebris : quò citius autē à corruptibili domicilio eu- lat , eò purius , minoriq; cum acerbitate re- migrat . Laudanda est etiam pietas ergà pa- *Charitas*
triā minimè obscura , quoniā illam , etsi per- *erga pa-*
angustam , prætulit amplissimis ciuitatibus , *triām, &*
quæ , vt apud se viueret , adhibitis præmijs in- *fratres.*
stabant . Et rursus celebranda charitas erga
fratres suos , quoniam imitatus præceptorem
Platonem (qui Glauconi , & Adimanto fra-
tribus sermones de Republica attribuit , An-
tiphonti verò Parmenidem , vt scilicet eos hac
ratione honestaret , & posteritati seruaret)
ipse quoque non cessat monumentis suis am-
plificare memoriam fratrū suorum , immò di-
gnitati quoque consulit patris , aui , proaui , &
filiorum , omnes sua virtute , & doctrina curās
immortales efficere . *idec* . *de* . *de* . *de* . *de*

Sed idem dignitates , inquit , & honores in *Magistra*
sua ciuitate quoque adeptum esse ; vt supremū *tus* .
magistratum , Sacerdotiumq; cum Euthide-
mo ; atque publicam legationem , quam cum
obijset sine collega deputato , non sine Col-
lega tamen eam conciubus exponere voluit :
itā nimirūm admonitus à Patre , vt declina-
ret inuidiam . Fama item est à Traiano eum
obtinuisse consulares honores , nec non cum
diplomate missum fuisse in Illyriū ad quosq;
illius regionis præfectos , ne ignaro , & incon-
sulto Plutarchio quidquā omnino perageret .

Quin Agathias illi quoque statuam ex publico Romæ fuisse erectam non obscurè significat, cum sub eadem ipsa inquit, se carmina ista affixisse, quæ ab incerto auctore latinè ità reddita sonant.

Hanc statuam posuere tibi, Plutarche, decorare

Visque adeò Ausonium Martia corda genus.

Inclita Graiugenum quia confers gesta latinis,

Græcaq; Romanis nomina principibus.

Attamen ipse tibi nequeas componere quemquam,

Quod similem non sit, nec reperire parem.

Peregrinationes.

Peregrinationes item plurimas, ac longin-
quas obiisse eum compertissimum arbitror,
quoniam præter secessum in Alexandriam, &
Vrbem superius expositos, ipse refert se etiā
Italiam, & Galliam totam Cisalpinam, vna
cum Mæstrio Floro condiscipulo, & viro con-
sulari peragrasse. Habitus est autem abijs,
quibus domestica eius consuetudine fraili-
cuit, quasi Orphicis, & Pythagoricis institu-
tis nimis imbutus, eò quod dictorum Philo-
sophorum dogmata efferre, & cū admiratio-
ne explicare obseruabatur; tūm amplius vitæ
parsimonia, & frugalitate imitari. In philo-
sophia veterem præcipue Academiā ample-
xus est, quæ à Pythagorā initium sumens, mox
à Platone absoluta, & ad fastigium usq; dedu-
cta creditur. Tametsi enim cūctas eorum tē-
porum sectas eum haud leuiter attigisse per-
spicuum sit, quoniam placita ferè omniū phi-

Frugali-
tas.

Secta.

Iosophorum breuiter, & ordinatè complectitur, & Stoycorum , Epicureorumq; deliria sæpe conuellit : nihilominus in priscæ Academiæ latibulis firmum adeò defixisse pedem ex eo patescere potest , quia Platonica decreta vbiique sectatur, & prædicat , secretaq; huius hæresis mysteria, & numeros fideliter referat. Adde emulationem insignem Platonicæ se-
 etæ , necnon studium ingens referendi in glo-
 riosum hunc cœtum . Non solùm autem , vt
 Epictetus exprobrat sui seculi philosophis ,
 verbis tenus ostendit se adhæfisse Platoni ,
 sed longè magis factis , & innocentia vitæ ;
 Propter quod acerbiter item inuehitur in eos
 philologos , qui perplexis disceptationibus ,
 & argutijs solùm venerantur sapientiam, mo-
 ribus autem , & factis nihilo sunt meliores
 quouis imperitissimo mācipio : quales fuerūt
 (subdit) Chrysippus, Cleanthes, Antipater, &
 nonnulli alij ex Stoycorum cœtu ; & qualem
 olim Theocritus adhuc iactauit fuisse Aristotelem Peripateticorum principem ; virū pro-
 fectò summū , si monumenta consideres, quæ
 plurima, & exactæ diligentiae reliquit ; si au-
 tem mores, & actus examines, improbum , &
 alienæ inuidum gloriæ . At Plutarchi vita ex
 eo depræhenditur integerrimorum fuisse mo-
 rūm , quia talis in primis describitur ab au-
 toribus omnibus ; deinde etiam quoniam
 ipsius scripta sunt grauissimis adeò referta

*In Enchi-
rid.*

*Integri-
tas vita.*

proloquijs , vt à doctis habeantur pro exemplo disciplinæ moralis. Huc accedit , quod Traianum erudiuit omnium Imperatorū pace, belloq; maximum; quodq; ciuilem doctrinam tanti ubiq; fecit , ut eam non dubitarit asserere esse antiquorū sapientiam: hæc enim (subdit)est , quæ actiones hominum componit, & moderat ; hæc quæ publicos cœtus in interrupta tranquillitate conseruat ; hæc demū quæ mortales beatos reddit , & Deo persimiles. Quantæ autem existimationis apud Traianum extiterit, præter allata, ea etiā Epistola facile ostendit , in qua ad Cæfarem scribens hæc liberè profert . (Si imperiū , quod probè meruisti , rectè gesseris, tuæ virtuti , & fortunæ gratulabor meæ : sin minus , te periculis, & me obtreſtatorum linguis expositum iri non dubito, cum ignauiam Imperatorum Roma non ferat, & vulgus soleat discipulorū errata magistris adscribere.) Sed ad optimos illius mores expromendos rursus id conferre uidetur, quia litteris tradidit, illustriū se Principum gesta aggressum fuisse describere , ut in eorum præclaras actiones contuens , tamquam in exemplaria benè uiuendi , inde suorum operum cursum probè componere, & ad præstantissimi omni quaue finem redigere posset .

Quid quod Favonium Arelatensem , à quo, ut Cœlius meminit, sæpè carpebatur per

Lenitas.
Lib. 19.
leēt. ant.
cap. 12.

inuidiam, non æquo solùm animo pertulisse, sed adeò beneuolè quoq; & honorificè exceptis dignoscitur, ut præter commentariū de primo frigido illi nuncupatum, in conuiualibus etiam quæstionibus eum planè immerentem laudibus ornare voluerit? Sed magnum iterum probitatis istius Viri argumentum illud occurrit, quod iram summo studio compescere, ac vel in ipsa statim eruptione moderare solitus erat. Vnde apud A. Gellium Libro I.
noct. Atti.
cap. 26. Taurus refert, quod philosophus hic cuidam seruo, nequā homini, & contuinaci, sed libris, disputationibusq; philosophiæ aures imbutas habenti, detrahi tunicam ob nescio quod delictum, cediq; cum loro cū iussisset, atq; seruus inter vapulandum vociferari incœpisset, non ità esse Plutarchum, vt decuerat; irasci enim, quod philosopho turpe est: tūm Plutarchum lentè, & leniter respondisse; quid verberō nunc ego tibi irasci video? ex vultunè meo, an ex voce, an ex colore, an etiā ex verbis correptū me ira esse intelligis? Mihi quidem neque oculi (opinor) truces sunt, neq; os turbidum, neq; immaniter clamo, neq; in spumam, ruboremuè efferuesco, neq; pudenda dico, aut pœnitenda, neque omnino trepido iram, aut gestio: Et simul ad eū, qui cedebat, conuersus, interim (inquit) dum ego, atq; hic disputamus, hoc tu age.

Quod egregium sanè facinus eū similiter

mihi tūm cōfirmasse probatur, cum incessanter aiebat se consueuisse consulere amicos, vt sibi modum non grauatè perscriberent, cuius obtētu possent irruentem demulcere iram, &

*Gratitu-
do.*

eā è medullis prorsus ejcere. Affirmat p̄tērē, ob Cheronem patriam olim à Q. Lucullo libertate donatam, se vitam illius, & gesta luculentissimis studuisse scriptis demandare; quod memoris, & grati animi vtique testimoniū est, sicut & p̄alibata mansuetudinis, tēperantiae, prudentiae, & philosophicæ puritatis opera sunt. His adnectimus, quod in suis lucubrationibus non apparet vni sectæ, more pecudū addictus, sed sui iuris, & liber ex una quaque quod sibi oportunum occurrit, more

*Lib. 9. lec.
ant. c. 12.*

apum excerpere, atq; sic documenta propria omni elegātia, & suavitate replere: Vnde Celius (de quo nuper mentionem habuimus) me

*Ingenij fa-
cilitas.*

morat Plutarchum à suis familiaribus ob celeritatem commētandi synchronū fuisse appellatum: quamquām ego potiùs existimem, hoc illi cognomentum fuisse tributum ob similitudinem, quam maximam habebat cum

*In Gor-
gia.*

Chronio, de quo Plato scriptū reliquit, quòd tenacissimæ fuerit memoriæ. Ad quā appellationem illud fortassè etiam alludit, quod

*In vita
Plotini.*

Porphirius refert: Chronium inter Platonicos antè suam ætatem magnum inuenisse nomē: quod item Eusebius inculcat.

Verūm obseruatione dignū arbitror, quod

prælibata philosophandi ratio , illis temporibus frequens, & trita, vt ex Galeno , Ammonio , Origene , Plotino , Porphirio , Iamblichō . Siriano , Simplicio , & alijs eius seculi auctori- bus colligere est , non ineptè à quibusdam re- centioribus consueuit efferri sub titulo viæ re- giæ , & genuini philosophandi modi . Siquidē ex vna secta haud integrè (cū singulis sua in- hæserit scabies , & lepra), sed ex pluribus si- mul collatis , & exactè perpensis fas est ger- manam rerum cognitionem elicere , ac pro- prios concinnare mores ad fœlicitatis obten- tum . Enim uero qui Plutarchi volumina per- legunt , in duobus hunc virum statuunt præci- puè eminere , nempe in multi iugi doctrina , ac grauitate sermonis : Quas duas quasi opti- mè agendi manus ; etsi maximus omnibus propè seculis fuerit prouentus scriptorum , ra- rò tamen adhuc simul conuenisse experimur . Doctrina quasi dextera hinc indè congregat , & aptè disponit varios hominum sensus : Elo- quentia verò quasi sinistra eosdē chartis mā- dat , & æternitati consignat .

Quòd si aliquis obstrepat ; philosophiā ne- CON-
quaquam opus habere eleganti , & ornata ra- T R O -
tione dicendi ; quippe cui satis sit , immò lōgē VER-
magis congruat , vti nudo , & simplicissimo sti- S I A .
lo , qui puris vocibus sensus absque ullo fuco
declarat , iuxta illud sancitum Manilij .

Ornari res ipsa negat , contenta doceri .

UVA. BHSE. BU.08960(09)

Huic statim occurrit Plutarchus asseuerās,
rectum & iustum, si plena, & luculenta ora-
tione promatur, esse planè violentum, & inui-
stum, laborantibusq; ciuitatibus opem ferre:
Siquidem optimè de viro eloquente Virgilius
scripsit,

Libro 1. Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Aeneid. Adijce, quod eruditiores quique pronun-
ciant, fautores præmissæ opinionis, vt elin-
gues, & barbaros potius suæ ruditatis hac ra-
tione excusationem quæsisse, quàm quod in
philosophia tractanda expediens sit compro-
basse: Interdicunt enim studiosis id, tanquam
ineptum, quod ipsi præ ignorantia cultioris
linguæ assequi minimè valent. Nisi pro con-
RESO. ciliatione huius dissidij aliquis dicat: philoso-
LVTIO. phiam in duas præcipuas partes esse distin-
ctam, alteram contemplatricē, alteram actri-
cem; Cōtemplatrix pars instar Virginis Deo
Lib. de ar- dicatæ apud Aristotelem, & sequaces expo-
te poetica scit nudam, & simplicem orationis formulā;
quoniam summum illius votum est, edoceri:
doctrina autem per simplices, & puras voces
lōgè meliùs expromitur, quàm per figuratas,
atque translatas. Cūm tamen decerno sim-
plicem, & puram dicendi rationem magis cō-
uenire, ne arbitreris, rogo, me stylum horum
perditorum innuere, qui sordidis, & peregri-
nis vocibus totam iam penè philosophiā cō-
spurnarunt, sed intelligere planum quendā,

atquē dilucidum orationis modum, qui per-
indē ferē difficilis est, atque sublimis, & splē-
dida ratio dicendi; sicut imitatores Xeno-
phantis sāpe numero probant. Huius ideam
obseruare facile possumus in Hippocrate, Ari-
stotele, Theophrasto, Galeno, Themistio, Phi-
lopono, & reliquis huius notæ scriptoribus,
qui aut naturalem scientiam simplicissimo
cultu expressam, aut artem quoque Medicam
nobis reliquerunt. Quamuis è diuerso Plato,
Philo, Plutarchus, Cicero, Seneca, Plinius, La-
etantius, & alij huius ordinis plures, qui natu-
ræ arcana plus reuerentur, & colunt, istam
quoque philosophiæ partem, quasi eminen-
tissimum Dei simulacrum in hoc vniuersita-
tis templo manibus humanis erectum, splen-
didis, & ornatis coloribus illustrare malue-
rint. Quod factum sua ratione constat, ut vi-
des, & multos ex omnibus nationibus sibi ap-
plaudentes habet. Ast moralis philosophia;
cuius finem Aristoteles sāpè decernit non es-
se docere, sed agere; quasi Virgo nubilis, quæ
toto pectore gestat vñiri animis nostris, pro-
fectò opus habet splendida, & ornata copia
verborum, quæ vim suis amatoribus inferat,
atque ad sui congressum illiciat; ex quo opti-
mi mores prodeunt, & omnes illa virtus emer-
git, quæ in actione posita est, atque humanā
speciem ab omni inquinamento depurgat.
Alioqui eneruis, & spinosa doctrina, non se-

Libro
ethic. I.

cus atque semina diu cornibus inclusa , vix
 sparsa se profert , & nullum fructum affert :
 quin in plerisque statim emoritur non sine ia-
 catura laboris . Cuius rei euidens sanè testimo-
 nium est , quia ieuni i sti , & aridi scriptores
 de moribus , qui aut nostra, aut superiori etiā
 ætate ediderant pleraq; volumina in lucē, pa-
 rūm, argutis, & asperis suis disceptationibus
 profecerunt in emendatione vitæ , quæ huius
 disciplinæ tamē præcipuus est scopus : Immo
 potius garrulum , & contumacem disputato-
 rem , vel qua peiori etiam labe infectum di-
 scentem reddiderunt , quam delictorū suorū
 pœnitētem, aut in posterum sibi cautius pro-
 spicientem à malis . Quare sicut in specula-
 tiuis artibus assentimus , puritatem orationis
 conuenire , sic in moralibus arbitramur , fa-
 cundiæ summum locum esse cedendum , cu-
 ius interuentu incitentur animi studiorum ,
 & velut blanda manu raptentur ad præstan-
 tiorem statum . Scitè igitur Plutarchus cum
 honesta, & multigena doctrina voluit ornatū ,
 & cultum etiam verborum adnectere , præser-
 tim in moralibus sermonibus , quorum nume-
 rus post historiam plurimus est , vt omnibus
 ingenijs , & artibus homines auocaret à vi-
 tijs , atque ad studia pulcherrimarum virtu-
 tum promoueret . Quamuis alia adhuc ra-
 tio suppetat tuendi huius philosophi partes ,
 si animaduertimus duas esse præcipuas vias
 agendi

agendi de moribus; aliā per vniuersales ser-
mones, & communia præcepta, quæ ad co-
gnitionem conducit: alia per amplificationē
bonorum cuiusq; virtutis, & acrem increpa-
tionem vitiorum, quæ ad incitandos animos
omnino necessaria est: atque statim adiece-
rimus, in priori Aristotelem, & sequaces se
magna cum laude, & dignitate exercuisse: in
posteriori autem ex philosophis Ethnicis vnū
ferè Plutarchum inueniri, qui in ipsa elabora-
rit: Et ideo apud eos consueuit in summo es-
se precio, qui aut proprios nituntur, aut alie-
nos etiam corrigere mores.

Non me præterit autem nonnullos ob id
Plutarchi stylum culpandum esse sensisse, quia
durior ipsis videretur, & rigidior, quam ora-
tori conueniat. Cæterūm quam isti duritiā,
& rigiditatem appellant, nos grauitatem, &
decorum philosophici sermonis vocare con-
sueuimus; quoniam in tractanda doctrina de
moribus non ea compta, & diffluens oratio-
nis forma est assumenda, quæ in foro, aut in
fabulis usurpatur, sed retinenda dignitas est
tum viri, tum materiæ. Sed hæc obiter.

Cum igitur tantus, & talis in suis operibus *Censura*
Plutarchus existat, quid mirum si eius Inter- *operum.*
prætes hactenus illa pro amplitudine nō po-
tuerunt latina oratione depromere? Deside-
rant enim ista virum, qui non modò Græcæ,
& Latinæ linguæ benè peritus sit, ut hucusq;

extitisse eos mihi videntur, qui nobilissimam
hanc prouinciam capesserunt; sed insuper ex-
poscunt philosophum in quauis antiqua secta
versatum, quiq; præterea in Matheſi, in Histo-
rica, & in Poetica facultatibus plurimū pol-
leat: quoniam in his omnibus disciplinis Plu-
tarchus instructus, & ornatissimus est. At ha-
ſce conditiones in vno consistere viro admo-
dum difficile est: sicut adhuc difficilius quē-
piam ex possidentibus inuenire, qui magnum
hoc interprætandi onus subire dignetur. Ve-
rūm his angustijs rursus super accedit incre-
dibilis Græcorum codicum deprauatio, atq;
mirā ordinis confusio, quæ in vulgata operū
Plutarchi editione apertè conspicitur, & quæ
interprætandi munus adhuc magis arduum
reddit. Sed reliquas fortasse difficultates alij
intelligentiores superabunt. Nunc mihi venit
in mentem, ad clariorem huius Viri lucem,
& decus, libellos eiusdē accuratè distribue-
re per suas classes, ac quosque eorum in con-
grua sibi statione locare, vt scilicet non casu,
sed ratione sibi cohoreant, & auidus lector
nec quidquam hinc inde cogatur, quæ subie-
cto congenea sunt, & mutuam sibi ipsis lucē
afferre valeāt, nimia animi contentionē dis-
quirere. Etenim Porphirium sic quoque co-
gnouimus disiecta Plotini monumenta in or-
dinem redigisse, atque locasse. Galenus au-
tem de proprijs libris opusculum, ac de eorū

ipsorum ordine diligenter conscripsit. Accedit, quod Laertius in describendis philosophorum vitis, item eorum scripta diligenter enumerat, atque disponit.

Quare tantorum virorū exemplo, nos quoque grauiissimi Plutarchi opuscula adducem in ordinem. Prius tamen quam ad huiusmodi distributionem accedamus, haud inutile erit, hic aliquid etiam adnotare de obitu huius ipius viri; quoniam & si incompertū omnibus arbitror, quo genere mortis, quouè tempore, & loco iste proprium supremum diem absoluerit, haud tamen obscurum ex ipsius dictis est, ad extremam eum peruenisse senectam, patriæ Chæroni restitutum, & salubribus his præceptis diu conseruatum in vita, de quibus in dialogo de prouehenda philosophantium vita ipse doctissimè egit: adeò ut verisimile sit ipsum post magna confecta negocia, & gloriam vndique partam inter suos iam grandænum, & parum huius lucis blandimenta curantem, cessisse necessitatē naturæ.

Obitum

Distributio operum Plutarchi.

Monumentorum Plutarchi alia historica sunt, alia philosophica, & alia quasi miscellanea, & neutra. Inter historica primum sibi meritò locum vendicant illustrium virorum vitæ, quas etiam vocant para tellas obduarum earum congeſtione in vnum, & eundem librum, atque in calce ſuper additâ collationem Græci cum Romano, & examen, quaſi duæ forent lineæ pares in quois libro produc̄tæ. Animaduertendum autem accutissimè eſt circa hoc prætantissimū opus, quod Auctor interdum de nonnullorum principum vitiſ ſe egiffe teſtatur, quæ in edito volumine minimè extant, calamitofa nimirum ætatū mutabilitate deleſtæ, ceu eſt vita Epa- minondæ Thebani, cum ſibi obiecta Romani, necnon vita Metelli Numidici, & Scipionis quoque illius, qui Numantiam euertit, cum paribus Græcis. Quarum deploranda iactura licet coniectare, plures alias quoque ſimil desiderari cum præmissis, quoniā tām apud Græcos, quām apud Latinos plures alij clauerunt non indigni labore, & ſtilo Plutarchi. Amplius animaduersione quoq; dignum iudico, quòd iſtæ, quæ manibus omnium teruntur, vitæ ab ipſo Auctore longè alio fuerunt ordine digestæ, atque nūc inueniantur. Col-

31

locasse enim se ait , vitas Ciceronis , atq; De-
mosthenis in quinto libro , quæ nunc in vige-
simo leguntur : & rursus Periclis Quintiq; Fa-
bij vitas tradit redigisse in decimum librum ,
quæ nihilominus in quintum translatæ repe-
riuntur . Quæ ordinis deprauatio præterquā
quod Auctoris consilio , & volūtati repugnat ,
perspicuitati item historiæ haud leuiter ad-
uersari consentaneum est .

2

Secundum locum post pararellas concedi-
mus vitis decem Oratorum Græcorum ; par-
tim quia eiusdem argumenti hoc opus esse vi-
detur ; partim quia ducimus optimum esse si-
mul cōferre diuersas scribendi rationes , quas
Auctor in hoc opusculo , & in pararellis serua-
uit , inter se adeo dissonas , vt eiusdem scrip-
toris opera nequaquam appar eant .

3

Mox vitis subijcimus commentarium de
gloriosis mulierum factis , qui de virtutibus
mulierum est inscriptus ; quoniam hic pariter
magna ex parte historicus est .

4

Sequūtur quarto loco Romanorum , atque
Græcorum persimiles casus ex priscis histo-
rijs absque vlla alia colligatione deprompti ,
ac nudo insuper , & simplicissimo stilo deli-
neati .

5

Hinc quæstiones centuriatæ se obuiā præ-
bent , in quibus plurima attinentia ad reli-
gionem , & ritus tam Græcorum , quam Ro-
manorum subtiliter perpensa , enucleantur .

6 Tandē in hac prima classe reponimus Au-
toris animaduersionem in Herodotum Ali-
carnaseum , haud contemnendum historicū,
in qua pleraq; eius errata in historijs commis-
sa detegit , atque præterea iniquitatēm inse-
ctatur , qua rebus Græcorū detraxit, ut Persa-
rū , atq; Medorum partibus pro virili faueret.

PHILOSOPHICA autem opera Plu-
tarchi alia moralia sunt , alia naturalia . } Mo-
ralium quæcunque ad castigationem priuato-
rum morum faciunt , huiusmodi serie dispen-
fantur .

7 Commentarius,in quo ad Memnonis Pla-
tonici aures , subtiliter disputat , virtutē mo-
ralem doctrina, & educatione tradi posse .

8 Commentarius de virtute, & vitio , in quo
virtutem ostendit iucundam efficere vitam ,
vitium autem iniucundam, & miseram .

9 Commentarius, q; ei nihil desit ad miseriā,
qui vitijs subiacet, & turpissem feruit .

10 Commentarius, quod animi morbi sint lō-
gè deteriores , quam corporis .

11 Commentarius de virtute morali , in quo
de natura moralis virtutis, & de ingenio eius
aīæ partis agitur , à qua virtus moralis emer-
git . Tu etiam atque etiam vide , num hic sit
Posidonij Rhodij tractatus de virtute mora-
li ; quoniam pleraque Stoyca continet , & ap-
primè consentire videtur cum his , quæ Gale-

nus aduersus Chrysippum , & reliquos Stoicos ex Posidonio producit . Lib.4. de
decret.

Commentarius de instituendis optimè lib- 13
beris: seu de honesta , & ingenua educatio-
ne liberorum .

Commentarius nuncupatus de audien- 14
do , in quo Auctor de proprij auditus custo-
dia accuratè disceptat .

Commentarius de exponēdis innoxiè poe- 15
tis corām adolescentibus, ne grauem inde ali-
quam contrahant noxam . Vbi multa habes
ingeniosa , & docta de arte poetica!

Commentarius , quō pacto percipias , te 16
proficere in exercitatione morali : quem etiā
de signis progressus in virtutē inscribere fas
est.

Commentarius de nativa in suam proge- 17
niem charitate.

Commentarius de custodienda pietate 18
ergà fratres.

Commentarius de multitudine amicorū ; 19
quod absurdā nimirū sit , & noxia plurium
amicorū copia .

Commentarius de discrimine adulatoris 20
ab amico .

Commentarius de serenitate , siue tran- 21
quillitate animi.

Consolatio ad Apollonium in obitu filij . 22

Epistola consolatoria ad vxorem in morte 23
filiolæ .

- 24 Commentarius de exilio , seu consolatio
ad amicum extorrem .
- 25 Commentarius de vtilitate ab inimicis ca-
pienda .
- 26 Commentarius de laude propria , in quo
concinne demonstrat modum , & tempus , &
loca in quibus citra culpam quis se ipsum po-
test commendare .
- 27 Commentarius de auaritia , inscriptus de
cupiditate diuitiarum .
- 28 Commentarius de non fœnerando , seu de
radicibus , & detrimentis fœnorum maximis .
- 29 Commentarius de Garrulitate .
- 30 Commentarius de curiositate .
- 31 Commentarius de congruentijs & incon-
gruentijs odij ab inuidia .
- 32 Commentarius de ira , quem de non ira-
scendo nuncuparunt .
- 33 Commentarius de superstitione .
- 34 Commentarius de disopia , hoc est de vere-
cundia immodica , & agresti .

ET ISTA PROPE MODVM opu-
scula sunt , quæ ad emendationem proprietorū
effectuum spectant . Quæ autem vel ad Rei-
publicæ curam , vel ad familiæ gubernationē
conducunt , à nobis hoc modo dispensantur .

- 35 Fragmentum commentarij , quotuplex sit
politicus status .
- 36 Commentarius , quod à senioribus cape-

scenda sit reipublicæ cura.

Commentarius , esse philosophandum cū 37
principibus .

Admonitio ad Principem indoctum , & 38
rudem .

Præcepta politica ad TRAIANVM Cæ- 39
farem .

Instituta Laconica ad eundem . 40

Apohtegmata , seu illustrium virorum di- 41
cta , ad eundem .

Præcepta connubialia . 42

Declamatio prima de virtutibus Alexan- 43
dri Macedonum regis .

Declamatio secunda de eadem re . 44

Conuiuum septem Græciæ Sapientum , in 45
quo pleraque ciuilia , & œconomica docu-
menta traduntur Nuncio Regis Amasidis .

AT CLASSIS OPVS CVLORVM
naturalium , quæ ad speculationem , & scien-
tiam faciunt , sic à nobis probè dispensari
posse videtur .

De placitis philosophorum libri quinque: 46
Quibus admodum consentit philosophica
ea historia , quæ inter spurious Galeni libros
continetur . Sed ad notandum circa eiusmo-
di libros id , quod Galenus refert , scilicet Teo-
phraustum philosophum Peripateticum olim
addidisse naturalium opinionum Epithome ;
quod fortassè alterum duorum voluminum

36

existit, aut saltem ambobus istis originem, & incrementum præbuit.

47 Inquisitio, quæ sint maioris emolumenti Aquanè, an Ignis.

48 Commentarius, quòd frigiditas non sit mera priuatio caloris, quodq; primum eius subiectum non sit aer, vt Stoyci determinarunt, neque aqua, vt Empedocles, & Stratho, sed terra ex decreto Auctoris.

49 Naturalium quæstionum liber vñus.

50 Platoniarum quæstionum liber vñus.

51 Conuiualium Sermonum libri nouem. A quo erudito sanè, & vario opere Aurelius Macrobius multa propè ad verbū mutuatus est, quibus bonam suorum Saturnalium partem consarcinasse depræhenditur, adeò vt Interpretis officio functus potiusquam Inuentoris, suppresso tamen nomine appareat.

52 Dialogus dictus Grillus, in quo bruta prædicta esse ratione disceptat ad mentem antiqui Pythagoræ.

53 Dialogus de comparatione animantium: Vbi bruta denuò ratione valere contendit, ac quæ magis hac præstent, terrestria, an aquatilia, varia, & ancipiti disquisitione luetatur.

54 55 Declamationes duæ de æstu carnium ad aures Pythagoricæ sectæ.

56 Dialogus de salubribus, in quo Auctor philosophice tractat, de tuenda eorum valetudine,

dine, qui philosophiæ operam nauant.

Commentarius de genitura animæ, quæ in
Platonis Timeo celebratur. 57

Compendium commentarij de genitura
animæ. 58

Dialogus de amore, in quo miro cum arti-
ficio decertat de origine, natura, causis, &
viribus amoris honesti. 59

Dialogus de Luna: Vbi de natura, magni-
tudine, distantia, motu, lumine, affectibus,
& facie apparente in orbe lunæ disquiritur. 60

Commentarius de fortuna, seu quod non
oīa succedant ex nutu fortunæ in hoc mūndo. 61

Cōpendium doctrinæ Platonicæ de fato. 62

Commentarius de Iside & Osiride, in quo
varius habetur sermo de occulta, & sacra Ae-
gyptiorum philosophia. 63

Dialogus Apollinaris, in quo disputatur
de hac syllaba, «, quæ apud Delphos in tem-
plo depic̄ta cernebatur. 64

Dialogus de tarda Numinis vindicta, &
cur ista frequenter migret in posteros. 65

Dialogus de Pythiæ sortibus: in quo ratio
indagatur, cur Oracula versibus nō amplius
ederentur, sicut olim solita erant. 66

Dialogus de causa, ob quam Oracula Plu-
tarchi tempore cessarint. 67

Dialogus de Vrbe Thebana à iugo Lace-
demoniorum exempta; atque simul de Socra-
tis dæmone, & mira Epaminondæ egestate. 68

69

Dialogus de communibus notionibus, seu
proloquijs aduersus Stoycos.

70

Liber de cōtradictionibus, & pugnis Stoy
corum.

71

Instructio, quod inopinata magis à Stoy-
cis, quam à Poetis effutiantur.

72

Commentarius, non rectè statuisse Epicu-
rum: Ità viue, vt nemo te vixisse persentiat.

73

Dialogus, seu disputatio aduersus Colotē

74

philosophum Epicureum.

75

Dialogus, in quo probatur, ne iucundè qui-
dem degi posse, dato Epicuri decreto, quod
voluptas sit omnium hominum finis.

76

SUPER SVNT OPERA, quæ ad
nullum præmissorum ordinum apposítè redi-
gi queunt, & ideò miscellanea, & neutra à
nobis appellata fuere.

77

Hæc autem tali serie proponuntur.

78

Dialogus de Musica, in quo pleraque de
Poetis, dequé metrorum inuentoribus, & ip-
orum metrorum varietate discutiuntur.

79

Annotationes doctissimæ super Homerū,
quæ a Galeno item commendantur.

*Lib. 3. de
descr. 2.*

Breuiarium comparationū Aristophanis
Comici cum Menandro, in quo dicacissimū
illum Socratis calumniatorē docet cum isto
nulla ex parte comparandum esse.

80

Finito Catalogo operum magni Plutarchi,
restat ut admoneamus lectors, quod plures

olim extitere Plutarchi: præter enumeratos
enim superius, qui oēs Cheronei fuere, Sui-
das tradit, alterum quoq; fuisse Plutarchum
Atheniensem, Nestorij filium, qui Peripate-
ticæ philosophiæ professor in ea ciuitate fuit,
& vt Priscianus Lygdus, & Philosophus etiā
asserunt, commentaria haud spernenda edi-
dit in libros Aristotelis de anima.

*Lib. de In
tellect.*
*In com. de
anima.*

F I N I S.

всю волю твою: икона пресвятой великомученицы Екатерины, а также икона
Святого Георгия Победоносца, икона Святого Николая Чудотворца, икона Святого
Андрея Первозванного, икона Святого Павла Апостола, икона Святого Петра Апостола,
икона Святой Троицы, икона Святой Богородицы Казанской, икона Святой Софии Константино-Патриаршеской, икона Святой Екатерины Александрийской, икона Святой
Елизаветы Федоровны, икона Святой Екатерины Иерусалимской, икона Святой
Марии Магдалины, икона Святой Марии Египетской, икона Святой Марии Римлянки,

21 И 1 Ч.